

vultu, stabilem se gloriam consequi posse rentur, vehementer errant. Vera gloria radices agit, atque etiam propagatur: facta omnia celeriter, tanquam flosculi, decidunt, nec simulatum potest quidquam esse diuturnum. Testes sunt permulti in utramque partem; sed brevitatis causa, familia erimus contenti una. Tib. enim Gracchus, P. F., tamdiu laudabitur, dum memoria rerum Romanarum manebit: at ejus filii, nec vivi probabantur bonis, et mortui ¹ numerum obtinunt jure cæsorum.

XIII. Qui igitur adipisci veram gloriam volet, justitiae fungatur officiis. Ea quæ essent, dictum est libro superiore. Sed, ut facillime, quales simus, tales esse videamur, etsi in eo ipso vis maxima est, ut simus ii, qui haberi velimus, tamen quædam præcepta danda sunt. Nam si quis ab ineunte ætate habet causam celebritatis et nominis, aut a patre acceptam (quod tibi, mi Cicero, arbitror contigisse), aut aliquo casu atque fortuna: in hunc oculi omnium conjiciuntur, atque in eum, quid agat, quemadmodum vivat, ² inquiritur; et, tanquam in clarissima luce versetur, ita nullum obscurum potest nec dictum ejus esse, nec factum. Quorum autem prima ætas propter humilitatem et

¹ Al. mss. nomen. ² Anquiritur.

obscuritatem in hominum ignoratione versatur: hi simul ac juvenes esse cœperunt, magna spectare, et ad ea rectis studiis debent contendere; quod eo firmiore animo facient, quia non modo non invidetur illi ætati, verum etiam favetur. Prima igitur est adolescenti commendatio ad gloriam, si qua ex bellicis rebus comparari potest; in qua multi apud maiores nostros extiterunt: semper enim fere bella geregantur. Tua autem ætas incidit in id bellum, cuius altera pars sceleris nimium habuit; altera felicitatis parum. Quo tamen in bello, quum te Pompeius alæ alteri præfecisset, magnam laudem et a summo viro, et ab exercitu consequabar equitando, jaculando, omni militari labore tolerando. Atque ea quidem tua laus pariter cum republica cecidit. Mihi autem hæc oratio suscepta non de te est, sed de genere toto. Quamobrem pergamus ad ea quæ restant.

Ut igitur in reliquis rebus multo majora sunt opera animi, quam corporis: sic ha res, quas persequimur ingenio ac ratione, graviores sunt, quam illæ, quas viribus. Prima igitur commendatio proficiscitur a modestia, tum pietate in parentes, tum in suos benivolentia. Facillime autem et in optimam partem cognoscuntur adolescentes, qui se ad claros et sapientes viros, bene consulentes reipublica, contulerunt: quibuscum si fre-

quentes¹ sunt, opinionem afferunt populo, eorum² fore similes, quos sibi ipsi delegerint ad imitandum. P. Rutillii adolescentiam ad opinionem et innocentiae, et juris scientiae, P. Mucii commendavit domus. Nam L. quidem Crassus, quum esset admodum adolescens, non aliunde mutuatus est, sed sibi ipse peperit maximam laudem ex illa accusatione nobili et gloriose. Et, qua³ aitate qui exercentur, laude affici solent, ut de Demosthene accepimus, ea⁴ aitate L. Crassus ostendit, id se in foro optime jam facere, quod etiam tum poterat domi cum laude meditari.

XIV. Sed quum duplex ratio sit orationis, quarum in altera sermo sit, in altera contentio: non est id quidem dubium, quin contentio orationis majorem vim habeat ad gloriam (ea est enim, quam eloquentiam dicimus); sed tamen difficile dictu est, quantopere conciliet animos hominum comitas affabilitasque sermonis. Exstant epistolae, et Philippi ad Alexandrum, et Antipatri ad Cassandraum, et Antigoni ad Philippum filium,⁵ trium prudentissimorum (sic enim accepimus), quibus præcipiunt, ut oratione benigna multitudinis animos ad benivolentiam allicant, militesque⁶ blande

¹ Sunt. ² Fore se s. ³ Al. addere volunt virorum, delete verbo filium. ⁴ Sic e mss. editum. Olim erat blando sermone appellando.

appellando deleniant. Quæ autem in multitudine cum contentione habetur oratio, ea sæpe universam excitat. Magna est enim admiratio copiose sapienterque dicentes: quem qui audiunt, intelligere etiam, et sapere plus, quam ceteros, arbitrantur. Si vero inest in oratione mista modestia gravitas, nil admirabilius fieri potest; eoque magis, si ea sunt in adolescente. Sed, quum sint plura causarum genera, quæ eloquentiam desiderant, multique in nostra republica adolescentes et apud judices, et apud senatum dicendo laudem assecuti sint; maxima admiratio est in judiciis: quorum ratio duplex est. Nam ex accusatione et defensione constat: quarum etsi laudabilius est defensio, tamen etiam accusatio probata persæpe est. Dixi paullo ante de Crasso. Idem fecit adolescentis M. Antonius. Etiam P. Solpicii eloquentiam accusatio illustravit, quum seditionem et iniuriam civem, C. Norbanum, in judicium vocavit. Sed hoc quidem non est sæpe faciendum, nec unquam, nisi aut reipublicæ causa, ut ii, quos ante dixi; aut ulciscendi, ut duo Luculli; aut patrocinio, ut nos pro Siculis; pro Sardis, ⁷ pro M. Albucio Julius. In accusando etiam M'. Aquillio L. Fufi cognita industria est. Semel igitur, aut non sæpe

⁷ Legendum omnino videtur in vel contra T. Alb.

cerne. Sin erit, cui faciendum sit sæpius, reipublicæ tribuat hoc muneris, cuius inimicos ulcisci sæpius, non est reprehendendum. Modus tamen adsit. Duri enim hominis, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis. Id quum periculosum ipsi est, tum etiam sordidum ad famam, committere, ut accusator nominere: quod contigit M. Bruto, summo genere nato, illius filio, qui juris civilis in primis peritus fuit. Atque etiam hoc præceptum officii diligenter tenendum est, ne quem unquam innocentem judicio capitis arcessas: id enim sine scelere fieri nullo pacto potest. Nam quid est tam inhumanum, quam eloquentiam, a natura ad salutem hominum, et ad conservationem datam, ad honorum pestem pernicieque convertere? Nec tamen, ut hoc fugiendum est, ita habendum est religioni, nocentem aliquando, modo ne nefarium, impiumque defendere. Vult hoc multitudo, patitur consuetudo, fert etiam humanitas. Judicis est, semper in causis verum sequi; patroni, nonnunquam verisimile, etiam si minus sit verum, defendere: quod scribere (præsertim quam de philosophia scriberem) non auderem, nisi idem placeret gravissimo sti-
corum Panætio. Maxime autem et gloria paritur et gratia defensionibus, eoque major, si quando

accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicujus opibus circumveniri urgerique videatur. Ut nos et sæpe alias, et adolescentes, contra L. Sulla dominantis opes pro S. Roscio Amerino fecimus: quæ, ut scis, exstat oratio.

XV. Sed expositis adolescentium officiis, quæ valeant ad gloriam adipiscendam, deinceps de beneficentia ac liberalitate dicendam est. Cujus est ratio duplex. Nam aut opera benigne fit indigentibus, aut pecunia. Facilior est hæc posterior, locupleti præsertim: sed illa ¹ laetior ac splendidior, et viro forti claroque dignior. Quanquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute deponitur; lassitioque, quæ fit ex re familiari, fountem ipsum benignitatis exhaustur. Ita benignitate benignitas tollitur: qua quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis. At qui opera, id est, virtute et industria, benefici et liberales erunt, primum, quo pluribus profuerint, eo plures ad benigne faciendum adjutores habebunt: deinde consuetudine beneficentiae paratores erunt, et tanquam exercitatiōes ad bene de multis promerendum. Praclare epistola quadam Alexandrum filium Philippus ac-

¹ Conjicit Heumann, latior.

cusat, quod largitione benivolentiam Macedonum consecetur. « Quæ te, malum, inquit, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi fideles putares fore, quos pecunia corrupisses? An tu id agis, ut Macedones non te regem suum, sed ministrum et præbitorem spernet fore? » Bene ministrum et præbitorem; quia sordidum regi: melius etiam, quod largitionem, corruptelam esse dixit. Fit enim deterior, qui accipit, atque ad idem semper expectandum paratior. Hoc ille filio; sed præceptum putemus omnibus.

Quamobrem id quidem non dubium est, quin illa benignitas, quæ¹ constet ex opera et industria, et honestior sit, et latius pateat, et possit prodesse pluribus: nonnunquam tamen est largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum est, et saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari impertiendum; sed diligenter, atque moderate. Multi enim patrimonia effuderunt, inconsolute largiendo. Quid autem est stultus, quam quod libenter facias, curare, ut id diutius facere non possis? Atque etiam sequuntur largitionem rapina. Quum enim dando egere cœperint, alienis bonis manus afferre coguntur. Ita, quum benivolentia comparanda causa benefici esse velint: non

¹ Constat.

tanta studia assequuntur eorum, quibus dederunt, quanta odia eorum, quibus ademerunt. Quamobrem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit; nec ita reseranda, ut pateat omnibus. Modus adhibeatur, isque referatur ad facultates. Omnia meminisse debemus id, quod a nostris hominibus sèpissime usurpatum, jam in proverbii consuetudinem venit, largitionem fundum non habere. Etenim quis potest modus esse, quum et idem qui consumerunt, et idem illud alii desiderent?

XVI. Omnia duo sunt genera largorum: quorum alteri, prodigi; alteri, liberales. Prodigi, qui epulis, et viscerationibus, et gladiatorum munieribus, ludorum, venationumque apparatu, pecunias profundunt in eas res, quārum memoriam aut brevem, aut nullam omnino sint relæcturi. Liberales autem, qui suis facultatibus aut captos a predoniis redimunt, aut as alienum suscipiunt amicorum, aut in filiarum collocatione adjuvant, aut opitulantr vel in re quærenda, vel augenda. Itaque miror, quid in mentem venerit Theophrasto, in eo libro, quem de divitiis scripsit: in quo multa præclare; illud absurde. Est enim multus in laudanda magnificentia, et apparatione popularium munerum; taliumque sumtuum facultatem, fructum divitiarum putat. Mihi autem ille fructus

liberalitatis, cuius exempla pauca posui, ¹ multo et major videtur, et certior. Quanto Aristoteles gravius et verius nos reprehendit, qui has pecuniarum effusiones non admiremusr, quæ fiant ad multitudinem deleniendam! At ii, qui ab hoste obsidentur, si emere aquæ sextarium mina ² cogantur, hoc primo incredibile nobis videri, omnesque mirari; sed, qnum attenderint, veniam necessitatì dare: in his immanibus jacturis, infinitisque sumtibus, nihil nos magnopere mirari; quum præsertim nec necessitatibz subveniatur, nec dignitas augetur; ipsaque illa delectatio multitudinis sit ad breve exiguumque tempus; eaque a levissimo quoque: in quo tamen ipso, una cum satietate, memoria quoque moriatur voluptatis. Bene etiam colligit, hæc pueris, et mulierculis, et servis, et servorum simillimi liberis, esse grata; gravi vero homini, et ea, quæ ³ fiant, judicio certo ponderanti, probari posse nullo modo. Quanquam intelligo, in nostra civitate inveterasse jam a bonis temporibus, ut splendor ædilitatum ab optimis viris postuletur. Itaque et P. Crassus, quum cognomine dives, tum copiis, functus est ædilicio maximo munere. Et paullo post L. Crassus cum omnium hominum moderatissimo Q. Mucio,

¹ M. etiam major. ² Cogerentur. ³ Fiant.

magnificentissima ædilitate functus est; deinde C. Claudius, Appii filius; multi post, Luculli, Hortensius, Silanus. Omnes autem P. Lentulus, me consule, vicit superiores. Hunc est Scaurus imitatus. Magnificentissima vero nostri Pompeii munera secundo consulatu: in quibus omnibus quid mihi placeat, vides.

XVII. Vitanda tamen est suspicio avaritiae. Mamercō, homini deditissimo, prætermisso ædilitatis consulatus repulsam attulit. Quare et, si postulatur a populo, bonis viris si non desiderantibus, attamen approbantibus, faciendum est, modo pro facultatibus; nos ipsi ut fecimus: et, si quando aliqua res major atque utilior populari largitione acquiritur; ut Oresti nuper prandia in semitis decumae nomine magno honori fuerunt. Ne M. quidem Seio vitio datum est, quod in ⁴ annonæ caritate asse modium populo dedit. Magna enim se, et inveterata invidia, nec turpi jactura, quando erat ædilis, nec maxima liberavit. Sed honori summo nuper nostro Miloni fuit, quod gladiatoribus emitis reipublicæ causa, quæ salute nostra continebatur, omnes P. Clodii conatus furoresque compressit. Causa igitur largitionis est, si aut necesse est, aut utile. In his autem ipsis mediocritatis regula optima

⁴ Abest annonæ.

est L. quidem Philippus, Q. F., magno vir ingenio, in primisque clarus, gloriari solebat, se sine ullo munere adeptum esse omnia, quae haberentur amplissima. Dicebat idem ¹ C. Curio. Nobis quoque licet in hoc quodammodo gloriari. Nam pro amplitudine honorum, quos cunctis suffragiis adepti sumus, nostro quidem anno, quod contigit eorum nemini, quos modo nominavi, sane exiguis sumptus ædilitatis fuit.

Atque etiam illæ impensaæ meliores, muri, navalia, portus, aquarum ductus, omniaque, qua ad usum reipublicæ pertinent. Quanquam quod præsens tanquam in manum datur, jucundius est: tamen haec in posterum gratiiora. Theatrica, porticus, nova templa, verecundius reprehendo, propter Pompeium: sed docutissimi non probant, ut et hic ipse Panætius, quem multum in his libris secutus sum, non interpretatus; et Phalereus Demetrius, qui Periclem, principem Græciæ, vituperat, quod tantam pecuniam in præclara illa propylaea conjecterit. Sed de hoc genere toto, in iis libris, quos de republica scripsi, diligenter est disputatum. Tota igitur ratio talium largitionum,

¹ Cotta Curio, Attulit Cockmann e quodam ms. Dicebat idem coram Curio; idque non improbandum videtur.

genere, vitiosa est; temporibus, necessaria; ¹ et tum ipsa et ad facultates accommodanda, et mediocritate moderanda est.

XVIII. In illo autem altero genere largiendi, quod a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus causis affecti esse debemus. Alia causa est ejus, qui calamitate premitur, et ejus, qui res meliores querit, nullis suis rebus adversis. Prospicior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. In his tamen, qui se adjuvari volent, non ut ne affligantur, sed ut altiore gradum adscendant, ² restricti omnino esse nullo modo debemus; sed in diligendis idoneis judicium et diligentiam adhibere. Nam præclare Ennius:

Benefacta male locata, malefacta arbitror.

Quod autem tributum est bono viro et grato, in eo quum ex ipso fructus est, tum etiam ex ceteris. Temeritate enim remota, gratissima est liberalitas; eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cujusque bonitas, commune perfugium est omnium. Danda igitur opera est, ³ ut his benefi-

¹ Gernhardus e vett. edd. et tamen ipsa. ² Conjectit sine causa Facciolatus, restricti animo. ³ Grav. ut iis.

ciis quam plurimos afficiamus, quorum memoria liberis posterisque prodatur, ut iis ingratias esse non licet. Omnes enim immemorem beneficij oderunt; eamque injuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri, cumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant. Atque haec benignitas etiam reipublicae utilis est, redimi e servitio captos, locupletari tenuiores: quod quidem vulgo solitum fieri ab ordine nostro in oratione Crassi scriptum copiose videmus. Hanc ergo consuetudinem benignitatis largitioni munerum longe antepono. Haec est gravium hominum, atque magnum: illa quasi assentatorum populi, multitudinis levitatem voluptate quasi titillantium.

Conveniet autem, quum in dando munificum esse, tum in exigendo non acerbum; in omniisque re contrahenda, vendendo, emendo, conduendo, locando, vicinitatibus et confiniis, aequum et faciliter; multa multis de jure suo cedentem; a litibus vero, quantum licet, et nescio an paullo plus etiam, quam licet, abhorrentem. Est enim non modo liberale, paullum nonnunquam de suo jure decidere, sed interdum etiam fructuosum. Habenda autem est ratio rei familiaris, quam quidem dilabi sinere, flagitosum est; sed ita, ut illiberaltatis avaritiaeque absit suspicio. Posse enim libe-

ralitate uti, non spoliantem se patrimonio, nimisrum is est pecunie fructus maximus.

Recte etiam a Theophrasto est laudata hospitalitas. Est enim, ut mihi quidem videtur, valde decorum, patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus; idque etiam reipublicae est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in urbe nostra non egere. Est autem etiam vehementer utilis iis, qui honeste posse multum volunt, per hospites apud externos populos valere opibus et gratia. Theophrastus quidem scribit, Cimonem Athenis etiam in suos curiales Lacidas hospitalem fuisse: ita enim instituisse, et villicis imperavisse, ut omnia praeberentur, quicumque Lacidas in villam suam devetisset.

XIX. Quae autem opera, non largitione, beneficia dantur, haec tun in universam rempublicam, tun in singulos cives conferuntur. Nam in iure caverre, consilio juvare, atque hoc scientiae genere prodesse quam plurimis, vehementer et ad opes augendas pertinet, et ad gratiam. Itaque quum multa praeclara majorum, tun quod optime constituti juris civilis summo semper in honore fuit cognitio atque interpretatio: quam quidem ante

¹ J. F. Heusinger malebat Atheniensem. *Frustra.*

hanc confusionem temporum in possessione sua principes retinuerunt: nunc ut honores, ut omnes dignitatis gradus, sic hujus scientiae splendor deletus est; idque eo indignius, quod eo tempore hoc contigit, quum is esset, qui omnes superiores, quibus honore par esset, scientia facile viciasset. Hæc igitur opera, grata multis, et ad beneficis obstringendos homines accommodata.

Atque huic arti finitima est dicendi gravior facultas, et gratior, et ornatior. Quid enim eloquentia præstabilius, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum, qui defensi sunt, gratia? Huic quoque ergo a majoribus nostris est in toga dignitatis principatus datus. Disertii igitur hominis, et facile laborantis, quodque in patria est moribus, multorum causas, et non gravatae, et gratuito defendantis, beneficia et patrocinia late patent. Admonebat me res, ut hoc quoque loco intermissionem eloquentiae, ne dicam interitam deploram: ni vererer, ne de me ipso aliquid viderer queri. Sed tamen videmus, quibus extinctis oratoribus, quam in paucis spes, quanto in paucioribus facultas, quam in multis sit audacia.

Quum autem omnes non possint, ne multi quidem, aut jurisperiti esse, aut diserti: licet tamen opera prodesse multis, beneficia petentem, commendantem judicibus et magistratibus, vigilantem

pro re alterius, eos ipsos, qui aut consuluntur, aut defendunt, rogantem: quod qui faciunt, plurimum gratiae consequuntur, latissimeque eorum manat industria. Jam illad non sunt admonendi (est enim in promptu), ut animum advertant, quum juvare alios velint, ne quos offendant. Sape enim aut eos ledunt, quos non debent; aut eos, quos non expedit. Si imprudentes, negligenter est; si scientes, temeritatis. Utendum etiam est excusatione adversus eos, quos invitus offendas, quacumque possis, quare id, quod feceris, necesse fuerit, nec aliter facere potueris; ceterisque operis et officiis erit, quod violatum est, compensandum.

XX. Sed quum in hominibus juvandis aut mores spectari, aut fortuna solet: dictu quidem est proclive, itaque vulgo loquuntur, se in beneficiis collocandis mores hominum, non fortunam sequi. Honesta oratio est. Sed quis est tandem, qui inopis, et optimi viri cause non anteponat, in opera danda, gratiam fortunati et potentis? A quo enim expeditione et celerior remuneratio fore videtur, in eum fere est voluntas nostra propensior. Sed animadvertisendum est diligenter, qua natura rerum sit. Nimirum enim inops ille, si bonus est vir, etiam si referre gratiam non potest, habere certe potest. Commode autem, quicunque dixit, pecuniam qui habeat, non reddidisse; qui reddiderit,

non habere : gratiam autem et qui retulerit habere ; et qui habeat, retulisse. At, qui se locuples, honoratos, beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt. Quin etiam beneficium se dedisse arbitrantur, quum ipsi quamvis magnum aliquid acceperint : ' atque etiam a se postulari, aut exspectari aliquid suspicantur; patrocinio vero se usos, et clientes appellari, mortis instar putant. At vero ille tenuis, quum, quidquid factum sit, se spectatum, non fortunam putet, non modo illi, qui est meritus, sed etiam illis, a quibus exspectat (eget enim multis), gratum se videri studet. Néque vero verbis auget suum munus, si quo forte fungitur, sed etiam extenuat. Videndumque illud est, quod si opulentum fortunatumque defendens, in illo uno, aut forte in liberis ejus manet gratia ; sin autem inopem, probum tamen et modestum, omnes non improbi humiles (qua magna in populo multitudo est) præsidium sibi paratum vident. Quamobrem melius apud bonos, quam apud fortunatos, beneficium collocari puto. Danda omnino opera est, ut omni generi satisfacere possumus. Sed si res in contentionem veniet, nimirum Themistocles est auctor adhibendus ; qui quum

¹ Sic Lamb. Græv. Ern. Heusinger. Lallem. Vett. vero edd. æque etiam Græv. Lallem. aut postulari.

consuleretur, utrum bono viro pauperi, an minus probato diviti filiam collocaret : « Ego vero, inquit, malo virum, qui pecunia egeat, quam pecuniam, quæ viro. » Sed corrupti mores depravatique sunt admiratione divitiarum : quarum magnitudo quid ad unumquemque nostrum pertinet? Illum fortasse adjuvat, qui habet; ne id quidem semper : sed fac juvare : utentior sane sit; honestior vero quomodo? Quod si etiam bonus erit vir, ne impediant divitiae, quo minus juvetur, modo ne adjuvent; sique omne judicium, non quam locuples, sed qualis quisque sit. Extremum autem præceptum in beneficiis, operaque danda est, ne quid contra æquitatem contendas, ne quid ¹ per injuriam. Fundamentum enim perpetuae commendationis et famæ, est justitia; sine qua nihil potest esse laudabile.

XI. Sed quoniam de eo genere beneficiorum dictum est, quæ ad singulos spectant : deinceps de iis, quæ ad universos, quæque ad rem publicam pertinent, disputandum est. Eorum autem ipsorum partim ejusmodi sunt, ut ad universos cives pertineant, partim singulos ut attingant, quæ sunt etiam gratiaria. Danda est opera omnino, si possit, utrisque, nec minus, ut etiam singulis consulatur; sed

¹ Sic Lallem. post Cruterum et alios. Malunt alii pro injuria.

ita, ut ea res aut prosit, aut certe non obsit reipublicæ. C. Gracchi frumentaria magna largitio; exhauebat igitur arerarium: modica M. Octavii, et reipublicæ tolerabilis, et plebi necessaria; ergo et civibus, et reipublicas salutaris. In primis autem videndum erit ei, qui rempublicam administrabit, ut suum quisque teneat, neque de bonis privatiorum publice deminutio fiat. Perniciose enim Philippus in tribunatu, quum legem agrariam ferret, quam tamen antiquari facile passus est, et in eo vehementer se moderatum præbut; sed quum in agendo multa populariter, tum illud male: «non esse in civitate duo millia hominum, qui rem haberent.» Capitalis oratio, et ad æquationem honorum pertinens: qua peste quæ potest esse major? Hanc enim ob causam maxime, ut sua tenerent, respublike civitatesque constitute sunt. Nam etsi, duce natura, congregabantur homines, tamen, specustodiæ rerum suarum, urbium præsidia quæabant.

Danda etiam opera est, ne (quod apud majores nostros sepe fiebat, propter arariorum tenuitatem, assiduitatemque bellorum) tributum sit conferendum; idque ne eveniat, multo ante erit providendum. Sin qua necessitas hujus numeris alicui rei-

¹ Sic Ernest. Lallem. Al. tuerentur.

publicæ obvenierit (malo enim alteri, quam nostræ, ominari, neque tamen de nostra, sed de omni republica dispuo): danda erit opera, ut omnes intelligent, si salvi esse velint, necessitatibus esse parendum. Atque etiam omnes, qui rempublicam gubernabunt, consulere debebunt, ut earum rerum copia sit, quæ sunt necessariæ. Quarum qualis comparatio fieri solet, et debeat, non est necesse disputare. Est enim in promptu: tantum locus attingendus fuit.

Caput autem est in omni procuratione negotiis, et muneris publici, ut avaritiae pellatur etiam minima suspicio. «Utinam, inquit C. Pontius Samnis, ad illa tempora me fortuna reservasset, et tum essem natus, si quando Romani dona accipere cœpissent! non essem passus diutius eos imperare.» Næ illi multa sæcula expectanda fuerunt. Modo enim hoc malum in hanc rempublicam invasit. Itaque facile patior tum potius Pontium fuisse, siquidem in illo tantum fuit ¹ roboris. Nonandum centum et decem anni sunt, quum de pecuniis repetundis a L. Pisone lata est lex, nulla antea quum fuisset. At vero postea tot leges, et proximæ quæque duriores; tot rei, tot damnati, tantum Italicum bellum propter judiciorum metum excitatum;

¹ Abest roboris a cod. Gravii.

tanta, sublatis legibus et judiciis, expilatio direptioque sociorum, ut imbecillitate aliorum, non nostra virtute valeamus.

XXII. Laudat Africanum Panætius, quod fuerit abstinentis. Quid ni laudet? Sed in illo alia majora. Laus abstinentia, non hominis est solum, sed etiam temporum illorum. Omni Macedonum gaza, que fuit maxima, potitus est Paullus: tantum in ærarium pecunia invexit, ut unius imperatoris præda finem attulerit tributorum. At hic nihil dum suam præter memoriam nominis sempiternam detulit. Imitatus patrem Africanus, nihilo locupletior Carthagine eversa. Quid? qui ejus collega in censura fuit L. Mummius, numquid copiosior, quam copiosissimam urbem funditus sustulisset? Italianum ornare, quam domum suam, maluit. Quanquam Italia ornata, domus ipsa mihi videtur ornatori. Nullum igitur vitium tetrius (ut eo, unde degressa est, referat se oratio), quam avaritia, præsertim in principibus rem publicam gubernantibus. Habere enim quaestui rem publicam non modo turpe est, sed sceleratum etiam, et nefarium. Itaque quod Apollo Pythius oraculo edidit, Spartam nulla re alia, nisi avaritia perituram, id videtur non solum Lacedæmoniis, sed et omnibus opulentis populis, prædixisse. Nulla autem re conciliare facilius benivolentiam multitudinis possunt ii, qui

reipublicæ præsunt, quam abstinentia et continentia. Qui vero se populares volunt, ob eamque causam aut agrariam rem tentant, ut possessores suis sedibus pellantur, aut pecunias creditas debitoribus condonandas putant: ii lahefactant fundamenta reipublicæ; concordiam primum, que esse non potest, quam aliis admuntur, aliis condonantur pecuniae; deinde æquitatem, que tollitur omnis, si habere suum cuique non licet. Id enim est proprium (ut supra dixi) civitatis atque urbis, ut sit libera, et non sollicita sue rei cujusque custodia. Atque in hac pernicie reipublicæ ne illam quidem consequuntur, quam putant, gratiam. Nam cui res erupta est, est inimicus; cui data, etiam dissimulat se accipere voluisse; et maxime in pecuniis creditis occultat suum gaudium, ne videatur non fusse solvendo. At vero ille, qui accipit injuriam, et meminit, et præ se fert dolorem suum; nec, si plures sunt ii, quibus improbe datum est, quam illi, quibus injuste ademptum est, idcirco plus etiam valent. Non enim numero haec judicantur, sed pondere. Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis, aut etiam sæculis ante possessum, qui nullum habuit, habeat; qui autem habuit, amittat?

XXIII. Ac propter hoc injuria genus Lacedæmonii Lysandrum ephorum expulerunt; Agim regem

(quod nunquam antea apud eos acciderat) necaverunt; ex eoque tempore tante discordiae secentae sunt, ut et tyranii existarent, et optimates exterminarentur, et præclarissime constituta respublica dilaberetur. Nec vero solum ipsa cecidit, sed etiam reliquam Graciam evertit contagionibus malorum, quæ a Lacedemoniis ¹ profectæ, manarunt latius. Quid? nostros Gracchos, Tib. Gracchi, summi viri, filios, Africani nepotes, nonne agrariae contentiones perdiderunt? At vero Aratus Sicyonius jure laudatur: qui, quum ejus civitas quinquaginta annos a tyrannis teneretur, profectus Argis Sycyonem, clandestino introitu urbe est potitus; quumque tyrranum Nicoclem improviso oppressisset, sexcentos exsules, qui fuerant ejus civitatis locupletissimi, restituit, remque publicam adventu suo liberavit. Sed quum magnum animadverteret in bonis et possessionibus difficultatem, quod et eos, quos ipse restituerat, quorum bona alii possederant, egero iniquissimum arbitrabatur, et quinquaginta annorum possessiones ² moveri non nimis æquum putabat, properea quod tam longo spatio multa hereditatibus, multa emtionibus, multa do-

¹ Male Ernest. a Lambino acceperat proœcta. ² Se-
cuti sumus Hensinger. et Lall. auctoritatem. ³ Mo-
vere.

tibus tenebantur sine injuria: judicavit, neque illis adimi, neque his non satisfieri, quorum illa fuerant, oportere. Quum igitur statuisset, opus esse ad eam rem constituendam pecunia, Alexandriam se proficieti velle dixit, remque integrum ad redditum suum jussit esse: isque celeriter ad Ptolemaeum, sum hospitem, venit, qui tum regnabat alter post Alexandriam conditam; cui quum exposuisset, patriam se liberare velle, causamque docuisset, a rege opulento vir summus facile impetravit, ut grandi pecunia adjuvaretur. Quamquam Sieyonem attulisset, adhibuit sibi in consilium quindecim principes, cum quibus causas cognovit et eorum, qui aliena tenebant, et eorum, qui sua amiserant; perfecitque æstimandis possessionibus, ut persuaderet aliis, ut pecuniam accipere mallent, possessionibus cederent; aliis, ut commodius putarent, numerari sibi, quod tanti esset, quam suum recuperare. Ita perfectum est, ut omnes, concordia constituta, sine querela discederent. O virum magnum, dignumque, qui in nostra respublica natus esset! Sic par est agere cum civibus, non, ut bis jam vidimus, hastam in foro ponere, et bona ci-
vium voti subjicere praœconis. At ille Græcus (id quod fuit sapientis et præstantis viri) omnibus consulendum putavit: eaque est summa ratio et sapientia boni civis, commoda ciuium non divel-

lere, atque omnes æquitate eadem continere.¹ Habitent gratis in alieno. Quid ita? Ut, quum ego emerim, redificarim, tuear, impendam, tu, me invito, fruare meo? Quid est aliud, aliis sua eripere, aliis dare aliena? Tabulae vero novæ quid habent argumenti, nisi, ut emas mea pecunia fundum; eum tu habeas, ego non habeam pecuniam?

XXIV. Quamobrem, ne sit as alienum, quod reipublicæ noceat, providendum est; quod multis rationibus caveri potest: non, si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucentur alienum. Nec enim illa res vehementius reipublicam continet, quam fides: quæ esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum. Nunquam vehementius actum est, quam me consule, ne solveretur. Armis et castris tentata res est ab omni genere hominum et ordine: quibus sic restiti, ut hoc tantum malum de republica tolleretur. Nunquam nec majus as alienum fuit; nec melius, nec facilius dissolutum est. Fraudandi enim spe sublata, solvendi necessitas consecuta est. At vero hic nunc victor, tum quidem victus, quæ cogitarat, ea perfecit, quum ejus jam nihil interesset. Tanta in eo

¹ Sic Lallèm. post editores optimos, auctoritate multorum codicùn. Ern. servaverat vulgat. lectiōnem, habitant.

peccandi libido fuit, ut hoc ipsum eum delectaret, peccare, etiam si causa non esset.

Ab hoc igitur genere largitionis, ut aliis detur, aliis auferatur, aberunt ii, qui rempublicam tuebuntur; in primisque operam dabunt, ut juris, ut judiciorum æquitate suum quisque teneat, et neque tenuiores propter humilitatem circumveniantur, neque locupletibus ad sua vel tenenda, vel recuperanda obsit invidia; præterea quibuscumque rebus vel belli, vel domi poterunt, rempublicam augeant imperio, agris, vectigalibus. Hæc magnorum hominum sunt; hæc apud majores nostros factitata: hæc genera officiorum qui persequuntur, cum summa utilitate reipublicæ magnam ipsi adipiscuntur et gratiam, et gloriam.

In his autem utilitatum præceptis Antipater Tyrius, stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, duo præterita censem esse a Panætio, valitudinis curationem et pecuniæ. Quas res a summo philosopho præteritas arbitror, quod essent faciles: sunt certe utiles. Sed valitudo sustentatur notitia sui corporis; et observatione, quæres aut prodesse soleant, aut obesse; et continentia in victu omni, atque cultu, corporis tuendi causa; et prætermittendis voluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam hæc pertinent. Res autem familiaris quæri debet iis rebus, a quibus abest turpitudo; conser-

vari autem diligentia, et parcimonia; iisdem etiam rebus augeri. Has res commodissime Xenophon Socratus persecutus est in eo libro, qui Oeconomicus inscribitur: quem nos, ista fere aetate quum essemus, qua es tu nunc,¹ e Graeco in Latinum convertimus.

XXV. Sed utilitatum comparatio, quoniam hic locus erat quartus a Panatio pratermissus, saepè est necessaria. Nam et corporis commoda cum externis, et externa cum corporis, et ipsa inter se corporis, et externa cum externis comparari solent. Cum externis, corporis hoc modo comparantur: Valere ut malis, quam dives esse. Cum corporis externa, hoc modo: Dives esse potius, quam maximis corporis viribus. Ipsa inter se corporis sic: Ut bona validudo voluptati anteponatur, vires celeritati. Externorum autem, ut gloria divitiis, vectigalia urbana rusticis. Ex quo genere comparationis illud est Catonis sensis: a quo quum quereretur, quid maxime in re familiaris expediret, respondit, Bene pascere. Quid secundum? Satis bene pascere. Quid tertium? Male pascere. Quid quartum? Arare. Et, quum ille, qui quæsierat, dixisset, Quid foenerari? Tum Cato, Quid hominem, inquit, o-

¹ Verba, e Graeco, que absunt ab uno codice, omitunt quidam, J. F. Heusingero duce, quasi insitum.

cidere? Ex quo, et multis aliis, intelligi debet, utilitatum comparationes fieri solere, recteque hoc adjunctum esse quartum exquirendorum officiorum genus.

Sed toto hoc de genere, de quærenda, de collocanda pecunia, etiam de utenda, commodius a quibusdam optimis viris, ad medium Janum sedentibus, quam ab ullis philosophis ulla in schola disputatur. Sunt tamen ea cognoscenda. Pertinent enim ad utilitatem, de qua hoc libro disputatum est. Reliqua deinceps persequemur.